









Quod bonum, felix, faustumque sit!

DISPUTATIO  
IURIDICA

DE

HEREDVM IN-  
STITUTIONE.

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi, atque Consultissimi*

Dn. GREGORII BICCHII, J. U. D. inque  
inclytâ hâc Argentoratensium Academiâ Professoris Pu-  
blici, Fautoris, Præceptoris, ac Parroni sui multis  
nominibus suspiciendi,

*Publici Exercitij gratiâ discutiendam  
proponit*

PAULUS GAMBS, Argentoratensis.

*Ad diem 3. Augusti,*

In Auditorio Jctorum.



ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI,

Anno M. DC. XXXVII.

37  
t.  
Disput.  
1637/1.



1  
120

KOEN. BIBL.  
DER  
UNIVERS.  
HALLE.





Z



DISPUTATIONIS  
DE  
HEREDUM INSTITU-  
TIONE  
PRO O E M I U M.



*Ominum gratiâ ut omne jus, l. 2. ff. de stat. hom. ita & testamentorum condendorum potestatem introductam esse, nemo vel tantillum sapiens inficias ire potest: Quid enim magis hominibus debetur, quam ut suprema voluntatis liber sit stylus, licitumque,*

*quod iterum non redit, arbitrium. l. 1. C. de SS. Eccles. §. 34. Instit. de legat. Eoque iniquam appellat Ictus Paulus in l. 43. pr. ff. de V. & P. subst. beneficium Principis, quod testamenti factionem homini sane mentis aufert. Verum enim vero ea potestas non tam libera est, ut leges infirmare possit l. 5. ff. de leg. 1. Indeque si quis ea, quae ad testamentorum firmitatem, legalitatemque requiruntur tam à I. C. ac Pratorio, quam Constitutionibus Principum, in §. 3. & seq. Instit. de testam. ordin. omittere ac negligere vellet, sterilem profectò navaret operam, conatusque frustraneos proderet. Inter qua requisita haud postremum locum obtinet Heredis institutio. §. 4. Inst d. t. fundamentum quippè quo totum testamentum nititur. §. 34. Inst. de legat. quo sublato omne superstructum corrui. Quapropter opera pretium me facturum arbitror, si de hâc nobilissimâ longèque utilissimâ materiâ non quidem, ut ejus requirit dignitas, sed pro instituti ratione, breviter (monente id Imperatore nostro, in pari negotio, l. 39. §. 1. C. de Appell.) rejectâ*





etiam omni difficultate §. 3. Inst. de fid. her. apprehensâ au-  
tem legibus amicâ simplicitate §. 3. Inst. de leg. agn. success.  
aliquid dicam, inhaerens in primis vestigiis Dn. Praesidis, cui,  
ordine sic suadente, ab hujus materia enodatione publicarum  
pralectionum initium facere placuit. Quod ut benè (loquor ite-  
rum cum Imp. nostro, in N. 6. pr. ut loquar elegantius) atque  
competenter fiat atque geratur; Deus Opt. Max. cujus benefi-  
cio magis, quàm hominum studio ac labore vera sapientia com-  
paratur, divinâ suâ gratiâ mihi adesse velit, ut ad haec omnia  
magna veneratione, tanquam sacra; magnâ cautione, tan-  
quam ignes; magnâ industriâ, tanquam ingentia saxa petitu-  
rus, manus admoveam.

#### THESIS I.

Derivatio  
vocabuli  
heredis.

Cum igitur meritò prior verborum cura esse debeat,  
potior rerum; observandum primò vocabuli *Heredis*  
varias à Dd. passim afferri derivationes: Alij enim dedu-  
cunt id ab ære seu pecuniâ, definiente quippe Cicerone  
in *Topicis Hereditatem*, quod sit pecunia à defuncto re-  
lictâ; Nonnulli autem ab hærendo dictum volunt, cum  
heredis & defuncti una quodammodo persona esse dica-  
tur in N. 48. pr. quæ personæ sibi invicem adhærent, ut  
post Hottom. sentit Treutl. in *Comm. suo sup. Pand. in pr.*  
*h. t.* Quibus tamen applausum meum denego; arridet  
potius sententia eorum, qui hoc vocabulum ab *Hero*, h.  
e. Domino. l. 11. §. 6. ff. ad l. Aquil. derivant, tum quod  
veteres *Heredes Dominos* appellabant. §. ult. Inst. de her.  
qual. & diff. l. 11. ff. de lib. & posth. Clariss. Dn. Praeses in suis  
pralect. Inst. n. 30. h. t. Tum etiam, quod, sicut hereditas  
dicitur defuncti personam sustinere §. 4. Inst. & l. 31. §. 1. in  
fin. ff. h. t. & Domina esse. d. l. 31. l. 61. ff. de A. R. D. Ita & *He-*  
*res*, qui eandem adeptus est, dicitur idem jus habere,  
quod defunctus habuit, adeoque Dominus esse l. 59. ff. de  
R. l. Imò heredi aliquando plus licet, quàm ipsi defun-  
cto, ut



Et, ut rectè affirmat Treutl. 2. *Disp. 12. §. 1. lit. A. argum. l. 38. ff. soluto matrim.* Eamque ob causam vocabulum *Heredis* in ff. Florentinis per simplex E. scribi rectè notat Treutl. *d. loc.* & ab ipso citatus Borcholt. *Inst. h. t. ad §. fin. n. 1.*

2. Observandum deinde vocabulum *Institutionis* (lo-  
quor cum Claris. Dn. Præs. *sup. cit. praelect. Inst. n. 31*) Derivatio  
vocabuli  
Institutio-  
nis.  
compositum esse ab *In* & *statuo*, quod propriè decernere  
significat; is enim *heres institui* dicitur, quem defunctus  
testator sibi successorem in testamento decernit; add.  
Wesenb. *in Comm. Inst. ad rubr. h. t. verb. Instituendis.*

3. Hisce præmissis ad definitionem accedo, quam sic Definitio.  
formo, quod *Heredis institutio* sit actus, quo quis ali-  
quem in testamento decernit atque declarat, quem post  
mortem in bonis suis universis succedere vult. *C. I. A. h. t. §. 1.*

4. Definitio per Actum] argumento *l. 19. & subseq. l. 20. ff. de V. S.* quæ posterior lex expressè dicit testandi jus non  
pertinere ad verba (prioris sc. *l. 19.*) *contraxerunt & gesserunt*,  
eoque necessariò colligo, referendum illud esse ad  
verbum *Actus*.

5. Dico in Testamento] quoniam Codicillis neque  
dari, neque adimi possunt legata. § 10. *Inst. de fid. her. mul-  
tò minus igitur hereditas. l. 27. §. 1. ff. de Condit. Inst. ne scil.  
testamentorum atque codicillorū jus confundatur. §. 2.  
Inst. de codicill. add. l. 14. C. de testam. l. 7. C. de codic.* Quod  
ipsum de directâ datione, & ademptione, non eâ, quæ  
per fideicommissum fit, intelligendum esse suadent tex-  
tus juris suprâ allegati.

6. Dico post mortem] tùm quod viventis per rerum  
naturam nulla sit hereditas, argum. *l. 1. ff. de her. & act. vend. l. 1. ff. pro herede*; tùm etiam, quod in plerisque he-  
reditas defuncti (non viventis, i. e. heredis futuri,) perso-  
nam sustineat. *pr. Inst. de stip. serv. & §. servus. 2. Inst. de he-  
red. Instit.*





7. Addo in bonis suis] nam qui in alienis bonis al-  
quem heredem instituit, nihil facit l. 77. §. 24. in verb. pecu-  
nia sua. ff. de leg. 2. heredes enim dicuntur Juris successo-  
res. l. 9. §. 12. h. t. ut & hereditas successio in universum jus,  
quod defunctus habuit. l. 24. & l. 119. ff. de V. S. l. 62. ff. de R.  
l. nemo autem plus juris in alterum transferre potest,  
quàm quod ipse habet. l. 54. & 120. ff. de R. l. Weseemb. h. t.  
nu. 5.

8. Addo universis] quod vocabulum bifariam accipi-  
tur, Primò quidem latè, & significat omne, quicquid  
continetur in totâ hereditate, ut cum unicus tantum he-  
res instituitur. l. ult. ff. h. t. Secundò autem strictè, & deno-  
tat massam aliquam bonorum, quæ cujusque fuerunt,  
cum moreretur, in quâ non tantum commoda, sed & in-  
commoda. l. 119. de V. S. non tantum res, quarum Domi-  
nus fuit testator, sed & credita & debita. l. 3. pr. ff. de bon.  
poss. continentur, quæ tamen universitas consistere potest  
etiam in parte hereditatis, & re minimâ. l. 9. & 10. ff. de pet.  
her. ita quidem, ut ea res minima contineat in se quoque  
commoda & incommoda. t. t. ff. si pars her. pet.

9. Explicatâ definitione, ad divisionem progredior,  
quam duplicem facio, primam quidem ipsorum here-  
dum; alteram autem Institutionis eorundem.

Divisio  
Heredum.

10. Primam divisionem rursus duplicem propono;  
*Heredes* enim dividi possunt Primò in eos qui ab inte-  
stato hereditatem adire possunt; qui etiam legitimi di-  
cuntur, quoniam lex iis hereditatem defert, de quibus  
est t. t. *Instit. de hered. quæ ab intest. & alijs seqq.* ut & t. t.  
*C. de legitim. hered.* quod quidem communiter, & magis  
secundum naturam fieri consuevit, ut defuncti cujusvis  
hereditas, ratione potissimû sanguinis, jure legitimo ad  
successorem deferatur: Et eos, qui ex testamento heredes  
facti sunt, de quibus est t. t. *Instit. ff. & C. de her. Instit.* quod ac-  
cidit si specialiter, & ex provisione hominis hereditas  
aliò



aliò, quàm quo à Legibus destinata erat, transferatur. De posterioribus autem hìc loquimur, non de prioribus.

11. Secundò in necessarios, suos & necessarios, & extraneos, *pr. Inst. de her. qual. & diff.* sive cum C. J. A. *h. t.* §. 2. in necessarios, & voluntarios; necessarios iterum in simpliciter sic dictos, & suos simul ac necessarios, *l. 3. §. 3. h. t.* Necessarij simpliciter dicuntur illi, qui in potestate Dominicâ ipsius testatoris constituti, sive velint sive nolint, omninò post mortem ejus & liberi, & heredes fiunt, §. 1. *Inst. d. t.* eamque hereditatem etiam suscipere coguntur, licet ære alieno supra modum gravatam, ad hunc effectum, ut bona hereditaria non defuncti, sed ipsius heredis nomine, vendantur *d. §. 1. Sui & necessarij dicuntur,* qui in patriâ potestate ipsius testatoris mortis tempore immediatè constituti, sive velint sive nolint, ipso jure heredes esse coguntur, nisi abstinendi facultatem à Prætore impetraverint. §. 2. *inst. d. t.* Extranei autem heredes sunt, qui neque in potestate patriâ, neque dominicâ ipsius testatoris suprâ dicto modo existunt. §. 3. *Inst. d. t.* ideoque non coguntur adire hereditatem, sed competitivis deliberandi potestas. §. 5. *Inst. d. t.* quæ extendit se usque ad annum. *l. 19. C. de Jur. delib.* scientibus sc. ignorantibus enim etiam post longum tempus petendæ hereditatis facultas conceditur. *l. 7. C. de pet. her. l. 8. C. de Jur. delib.* adde Consultis. Dn. D. Locamerum, p. m. *in quest. suâ Justin. 244.* In cujus locum hodiè successit, ex Constitutione Imperatoris nostri Justiniani, Inventarij confectio. *l. ult. §. 2. C. de Jur. delib. §. 5. Inst. de her. qual. & diff.* liberâ tamen heredibus institutis electione permisâ, utrû saluberrimum hoc remedium Justiniani arripere, an veteri gravamini de liberationis se supponere maluerint. *d. §. sed nostra. c. 1. de hered. qual. & diff.*

12. Quod tandem ad divisionem ipsius Institutionis spectat; dicendum, Institutionem aliam esse, quæ fit in  
Divisio Institutionis.  
 primum



primum tantum gradum, quæ in specie sic dicitur, *t. t. Inst. ff. & C. de her. Inst.* de quâ etiam hîc loquimur; alia autem est, quæ non in primum, sed & ulteriorem gradum fit, quæ in specie substitutio vocatur. *l. 43. §. 2. ibi nihil autem ff. de V. & P. subst.* de quâ est *t. t. Inst. ff. & C. de V. & P. subst. add. C. J. A. hic. n. 1.*

13. Nunc antequam ad portum revehatur Disputatio hæc, quædam dicenda sunt etiam de causis heredum Institutionis, quarum duas præcipue species communis Philosophorum schola asserit; primam constituunt causæ externæ, quæ efficientem & finem; alteram causæ internæ, quæ materiam & formam sub se comprehendunt.

Causa efficiens.

14. Causa efficiens iterum duplex est, principalis & instrumentalis; Principalis quidem est ipse testator, qui, siquidem in scriptis testari vult, propriam manu heredem instituere atque scribere cogitur ex Constitutione Iustiniani *l. 29. in pr. C. de testam.* quod tamen mutatum *N. 119. cap. 9.* ita ut hodiè cujuslibet manuscribi heres possit: quod si tamen literas ignoret, & ita sine scriptis testari vult, sufficit nomen heredis coram testibus nuncupari, ut sciant illi quos heredes esse velit post mortem suam. *l. 29. pr. C. de test.* Testatoris enim voluntas potissimum spectanda est. *l. 13. pr. ff. h. t.* Quæ oritur vel ex affectione aliquâ singulari, vel ex benemerito heredis *l. 10. fin. ff. mandati. l. 9. ff. pro socio,* vel etiam ex naturæ & ipsorum testantium communi voto, quod ad bona Parentum liberos vocat, *l. 7. §. fin. unde liberi,* vel tandem ex necessitate, vel debito aliquo. *l. 10. ff. pro socio,* quod à J. C. imponitur Parentibus, ut scilicet liberos suos heredes instituant, aut, si justæ causæ subsint, nominatim ex heredent *l. 7. ff. de bon. damn.* Causa denique instrumentalis, est testamentum, codicillis enim hereditas directò neque dari, neque adimi potest. *l. 7. C. de codic. vid. sup. §. 5.*

Qui heredes insti-

15. Heredes autem instituere possunt omnes, quibus com-



competit testamenti factio. *Wesemb. w. h. t. n. 4. l. 4. ff. de* <sup>tuere pos-</sup>  
*test.* Cum autem testamenti factio bifariam accipiatur, <sup>sunt.</sup>  
 Primò quidem pro jure faciendi testamentum, quæ acti-  
 va: Secundò autem pro jure capiendi aliquid ex testa-  
 mento, quæ passiva dicitur, C. J. A. *h. t. t. 3. n. 2.* cum alleg-  
 text. dicendum hic testamenti factionem activam non  
 passivam intelligi, quando scil. quis capax & idoneus est,  
 ad testamentum conficiendum; ut est Paterfamilias. *l. 3.*  
*pr. ff. de jur. codic.* ubi excluduntur statim, qui impediun-  
 tur vel ob potestatem aliquam, in quâ sunt, sive Domini-  
 cam, ut servi. *l. 16. pr. & l. 19. ff. de testam.* sive patriam, ut fi-  
 liitiam. *pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 6. pr. & l. 16. pr. ff.*  
*de test.* excepto tamen peculio castrensi, vel quasi, in qui-  
 bus vice patrum familiarum funguntur. *l. 2. ff. ad SCtum*  
*Macedon.* vel ægritudinem sive animi, ut impuberes &  
 furiosi, §. 1. *Inst. de test. ordin. l. 16. §. 1. ff. de test.* & mente ca-  
 pti. *d. l. 16. Prodigii §. 2. Inst. d. t. sive corporis; ut surdi & mu-*  
*ti §. 3. Inst. d. t. l. 6. §. 1. & 16. pr. ff. de test. nisi à Principe specia-*  
*liter id impetraverint. l. 7. ff. d. t. Cœci §. 4. Inst. d. t. vel ali-*  
*am ob causam, ut peregrini. l. 17. §. 1. ff. de pœn. l. 1. C. h. t.*  
*ubi Gothofr. & qui apud hostes sunt, §. ult. Inst. & l. 8. pr.*  
*ff. d. t. si modò captivi detinentur. Illi enim qui quoquo-*  
*modo in hostico deprehenduntur, quomodo volunt, &*  
*quomodo possunt testandi licentiam habent. l. ult. ff. de*  
*testam. milit. cui bonis interdictum est l. 18. pr. ff. d. t. & alij*  
*de quibus C. J. A. tit. de testam. t. 6.*

16. Quod ad causam materiale[m] attinet; est ea rur. <sup>Causa ma-</sup>  
 sus vel ex quâ (quæ hîc demonstrari nequit, cum heredis <sup>terialis.</sup>  
 institutio sit aliquod accidens, quod, ex communi Philo-  
 sophorum consensu, nullâ tali materiâ constat) vel in  
 quâ sive subjectum, quod est ipsum testamentum, in quo  
 heredes scripti sunt, non autem codicillus, ut supra di-  
 ctum *t. 5. & 14. in fin.* vel tandem circa quam sive obje-  
 ctum. Est autem hæc materia circa quam sive objectum

B

hîc



hic duplex; heredes sc. instituendi; & res ipsa in qua heredes institui possunt.

Qui heredes institui possint.

17. Heredes autem institui possunt omnes, quibus est testamenti factio passiva. §.4. *Inst. de her. qual. & diff.* Ubi sciendum; antequam heredes extranei instituantur, necesse esse, ut sui heredes ab hereditate removeantur, atque nominatim exheredentur (justis tamen ex causis expressis in *N. 115.* iniquè enim exheredati testamentum inofficiosum, quasi non ex officio pietatis paternæ factum, accusare possunt; quo facto, si Judex contra testamentum pronuntiaverit, jure quidem veteri neque legata neque cætera in testamento scripta debebantur. *l. 8. §. 16 ff. de inoff. testam.* jure autem novissimo heredis tantum institutio rescinditur, legata autem atque cætera firma manent. *d. N. 115. c. 3. in fin.*) non autem prætereantur, *pr. Inst. de exher. lib.* aliàs testamentum inutile erit. *d. pr.* atque nullius momenti. *l. 1. pr. ff. de injust. rup. irrit.* adeò ut heres talis præteritus, testamentum vel institutã querelã nullitatis ipso jure evertere, vel petitã contra tabb. bonorum possessione, tollere possit. *l. ult. vers. sancimus. C. de lib. præter.* Cum verisimile sit, oblivione omissum suum heredem esse, qui vivente adhuc testatore Dominus rerum paternarum quodammodo videbatur. *l. 11. ff. de lib. & posth.* Excipiuntur tamen ab hãc regulã duo præcipuè casus. Primus est si filius spontè abstinuerit hereditate (cũ omnes licentiam habeant iis, quæ pro se scripta sunt, renunciare. *l. 29. C. de pact.*) quod etsi subtilitati juris refragari videatur, tamen voluntas hæc ex æquo & bono cõservabitur. *l. 17. ff. de injust. rupt. irrit. fact. test.* Treutl. 2. *Disp. 11. §. 1. lit. C. sub fin.* Secundus casus est, si vivo adhuc testatore decesserit, hoc enim casu reconvalescit testamentum, si non subtilitate juris civilis, tamen similiter ex æquo, & bono. Vid. Amplifs. Dn. D. Locam. p.m. *in quest. suã Instin. 222.*

18. Testamenti autem factionem habere intelliguntur,



C.

tur, qui vel per se, vel per alios capere quid ex alieno testamento, idque vel sibi vel aliis acquirere possunt, etsi ipsi testamentum facere nequeant. §. 4. *vers. testamenti autem factionem. Inst. de her. qual. & diff. l. 16. pr. ff. de testam.* ut autem extraneus aliquis habeat hanc testamenti factionem, tria tempora inspicienda veniunt; testamenti scilicet facti, mortis testatoris, & tandem adeundæ vel acquirendæ hereditatis; medium enim tempus, inter factum testamentum & mortem testatoris, vel conditionem institutionis existentem, non attenditur. *d. §. 4. ibi medio autem tempore. Inst. de her. qual. & diff. l. 6. §. 2. & l. 49. in fin. ff. h. t.* In simpliciter autem necessariis, ut servis propriis, & suis simul ac necessariis duo tantum tempora spectantur, conditi scilicet testamenti, & mortis testatoris, sive conditionis existentis. C. J. A. *hic θ. 2. n. 2.*

19. Excipiendum tamen à superiori regulâ *θ. 17.* posse quem heredem institui, etsi testamenti factionem etiam passivam non habeat; ut si quis scribatur heres in tempus capiendæ hereditatis. *l. 62. in pr. h. t.* vel si quis à milite heres sit institutus. *l. 13. §. 2. ff. de milit. test. l. 5. & l. 15. C. eod.* cui inter cætera, quæ ipsi cõcessa sunt liberum quoque arbitrium, quibus velit relinquendi supremo iudicio suo concessum est, nisi lex expressè talem institutionem prohibuerit. *d. l. 5. in fin. C. de test. milit.*

20. Hisce præmissis concludo. I. Heredes institui posse tam liberos homines, quam servos *pr. Inst. h. t.* priores quidem si sint cives Romani, *l. 6. §. 2. l. 59. §. 4. ff. h. t.* ubi excluduntur statim, Peregrini. *d. l. 6. §. 2. & l. 1. C. de her. Inst. argum. l. 17. §. 1. ff. de pæn. l. 15. ff. de inter. & releg.* Deportati, *d. l. 1. C. de her. Inst.* (quibus tamen institutis, hereditas non ad fiscum defertur, ut rectè affirmat Treutl. 2. *Disp. 11. θ. 2. lit. G. in fin.* sed in eâ causâ erit, in quâ fuisset, si scripti non fuissent. *l. 1. C. de her. Inst.*) In metallum damnati. *l. 3. pr. ff. de his qua pro non script. hab.* Hæretici præterea, Anabaptistæ, Manichæi. *l. 3. C. de Apost. & l. 4. §. 2. C. de her. & Manich.*



21. II. Heredem institui posse etiam filium natura-  
lem sive spurium, à matre quidem, in casu, quo alios legi-  
timos liberos non habet. *l. 5. C. ad Sctum Orfit. §. novissi-  
mè. 3. Inst. eod. l. 29. §. 1. ff. de inoff. test.* maximè si ex licità  
consuetudine concubinatuq; sit natus. *l. 5. vers. sin autem.*  
A patre autem non nisi unica bonorum uncia relinqui  
filio naturali potest; si quidem liberos habuerit legiti-  
mos, vel mater ejus adhuc vivat. *l. 2. C. de naturalibus libe-  
ris. N. 89. c. 12. §. 2.* His autem duobus casibus deficientibus,  
ex semisse eum instituere potest. *l. 8. C. de natur. lib.* quod  
correxerit postmodum Justinianus, adeò ut etiam ex asse  
institui possit. *Auth. seq. licet. C. de natur. lib.* quod iterum  
de iis intelligendum est, qui ex legitimo concubinatu  
sunt nati; Incestuosi enim ab hoc beneficio omninò ex-  
cluduntur, quibus ne alimenta quidem debentur. *d. N.  
89. c. 12.*

22. III. Posthumum heredem institui posse, tam à  
marito, qui uxorem nondum duxerit. *l. 4. ff. de lib. & post-  
hum. l. 3. ff. de bon. poss. secund. tabb.* quam à spadone, & eo  
qui generare facile non potest. *l. 6. pr. ff. d. t. ut & herma-  
phrodito. d. l. 6. §. 2.* Si virilia in eo prævalent; non autem  
à castrato. *d. l. 6. §. 1.* porrò heredem institui posse etiam  
eum, qui apud hostes est. *l. 32. §. 1. ff. b. t.* nisi sit transfuga,  
argumento *l. 5. §. 1. ff. de capit. min.* ut & totum aliquod  
collegium, licitum tamen. *l. 1. C. de SS. Eccles. l. 8. C. h. t.*  
ipsum etiam Imperatorem. *l. 16. pr. C. de testam.* nisi id li-  
tis causâ fiat. *§. ult. Inst. quib. mod. test. infirm. l. pen. ff. h. t.*

23. IV. Heredes institui posse etiam servos. *pr. Inst. &  
l. 3. pr. ff. h. t.* Sunt autem illi vel proprii (in quibus scil. te-  
stator vel proprietatem nudam habet, vel eandem ple-  
nam, & cum usufructu conjunctam. *§. 1. in fin. Inst. h. t.*)  
vel alieni (in quibus testator proprietatem non habet,  
sed vel nudum usumfructum, vel nullum planè jus. *§. 3.  
Inst. h. t.*) Proprii olim nō nisi cum libertate, hodiè etiam  
sine



7.  
fine libertate ex Constitutione Justiniani. *l. pen. C. de necess. serv.* institui possunt. *d. §. 1. Inst. h. t.* ubi tamen excipitur casus, quo mulier cum servo suo rem habuit sive adulterium commisit, quæ ut olim ex S<sup>C</sup>to Claudiano non tantum bona, sed & cum iisdem libertatem amittebat. *§. un. in fin. Inst. de success. subl. quæ fieb. per bon. vend. & ex S<sup>C</sup>. Claud.* (quod tamen Justinianus postea abolevit *d. t.*) sic & heredem eundem servum instituendi libertate hodie privatur ex Constitutione Divorum Severi & Antonini, si modò inchoata jam fuerit adulterij accusatio. *§. 2. Inst. & l. 48. §. 2. h. t.* Alieni autem servi sine libertate heredes institui possunt. *l. 3. pr. ff. h. t.* si modò ipsorum domini passivæ testamenti factionis sint capaces; quoniam testamenti factio cum servis ex personâ dominorum æstimatur. *l. 31. pr. ff. h. t.* adeò ut & servus hereditarius institui possit. *§. 4. Inst. h. t.* cum hereditas videatur sustinere personam defuncti. *d. §. 4. in fin. Inst. & d. l. 31. §. 1. & l. 64. ff. h. t.* quo casu, etiam si cum herede defuncti non sit testamenti factio, si modò fuerit cum defuncto ipso, Institutio valebit, ut vult Vivianus, & glossa *in l. 52. ff. h. t.*

24. V. Possè quem & unum & plures heredes instituire. *§. 6. Inst. h. t.* suamque hereditatem distribuere vel prohibitu & arbitrio suo, quæ arbitraria hereditatis distributio dicitur à Bocero *Class. 3. Disp. 4. §. 19.* vel etiam solennis. *l. 13. ff. h. t.* & usitato modo. *§. 7. ibi plerumque. Inst. h. t. l. 50. ff. eod.* quæ ab eodem solennis appellatur. Prior distributio fit, quando quis vel in plures quàm duodecim partes, ut dupondium, tripondium, quadripondium, &c. vel pauciores dividit hereditatem. Posterior autem est, quando quis in duodecim partes sive uncias dividit hereditatem, quæ partes omnes conjunctæ assen efficiunt.

25. As autem (si quidem fides habenda Varroni *lib. 1. de ling. lat.*) ab ære dictus est, & continet sub se, ut modo dictum, duodecim partes, quarum 1. Uncia dicitur, duodeci-



26  
decima pars assis. 2. Sextans, sexta pars assis, & uncias habet duas. 3. Quadrans, quarta pars assis, & uncias habet tres. 4. Triens, tertia pars, atque quatuor uncias complectitur. 5. Quincunx, quinta pars assis, & quinque uncias continet. 6. Semis seu se libra, dimidia pars assis, & sex unciis constat. 7. Septunx, septima pars assis, atque septem uncias continet. 8. Bes, quasi bis triens, octava pars assis, & octo uncias comprehendit. 9. Dodrans, quasi dempto quadrante as, novem uncias habet. 10. Dextans, quasi dempto sextante as, ac decem habet uncias; & tandem 11. Deunx, quasi demptâ unciâ as. Pac. *in not. ad §. 7. Inst. h. t. Wesemb. ꝑ. ff. h. t. n. ult.*

26. De hâc autem assis divisione observandum primò, non semper opus esse distributione partium, si quis enim plures heredes instituerit sine parte nominatâ, intelligitur eos æqualiter instituisse. §. 8. *Inst. & l. 9. §. 12. l. 13. pr. ff. h. t.* (nisi alij conjunctim, alij verò disjunctim scripti sint, hoc enim casu conjuncti habebuntur pro uno. *l. 59. §. 2. ff. h. t. Treutl. 2. Diss. 11. §. 4. lit. C.*) quod *Wesemb. in ꝑ. ff. h. t. n. 6. sub fin.* rectè ampliat atque extendit ad casum, quo aliâs successuri ab intestato æquè heredes instituuntur, quod declarat etiam exemplo fratris, & alterius fratris filiorum; hi enim etiam si ab intestato jure representationis tantùm in stirpem cum propriis thiiis succedant. *Aut. post fratres. C. de leg. her.* instituti tamen in testamento cum adjectione formulæ, *Æquè heredes sunt, simul cum fratre superstite, in capita non stirpes, succedunt. l. 13. pr. ff. h. t.*

27. Secundò, quod etiam si quis usitato & solenni modo distribuerit hereditatē suam, eveniat tamen nonnunquam, ut distributio illa solennis degeneret in arbitrariam; ut si quis plures heredes instituerit, atque in quibusdam partes expresserit, quæ conjunctæ assem efficiunt; in quibusdam autem nullarum partium mentionem



8

nem fecerit, e.g. instituit quis Gajum ex dodrante, Seium ex quadrante, Mævium autem simpliciter nullâ parte expressâ, hoc sanè casu dupondius fiet, atque Gajus & Seius in dimidiam hereditatis partem, Mævius autem solus in alteram dimidiam succedet. §. 8. vers. *sin verò Inst. & l. 17. §. 3. l. 19. ff. h. t.* nec interest quo loco scribatur heres ille sine parte. *l. 20. l. 78. §. 2. ff. h. t.*

28. Tandem & illud observandum, quod si quis heredes instituat ex certis partibus, quæ tamen assen non conficiunt, adeò ut pars aliqua assis vacet, pars illa vacans accrescat scriptis heredibus pro hereditariâ portione, adeò ut si quis alterum ex semisse, alterum ex quadrante heredes scripserit, qui accedit quadrans institutis pro partibus hereditariis accrescat. §. 9. *Inst. & l. 13. §. 2. & 3. ff. h. t.* & e contra si plures heredes scripti sint in portionibus, cuilibet eorum pro hereditariâ portione (sive eâ parte ex quâ scripti sunt) decrescat. *d. §. 9. in fin. add. hic multos alios casus ex C. J. A. h. t. §. 5. & seqq. & ex l. 13. & seqq. ff. h. t.*

29. Hactenus de causâ materiali circa quam, quatenus ad ipsos heredes spectat, subsequuntur nunc res, in quibus heredes institui possunt, quæ ut ipsius testatoris propriæ sint, non alienæ (utin legatis, §. 4. *Inst. de legat.*) necesse est. *vid. sup. §. 7.* sive deinde sint mobiles, sive immobiles, adeò ut etiam rerum certarum institutio fieri possit. §. 3. *Inst. quib. mod. test. infirm. l. 35. pr. & §. 1. ff. h. t. l. 29. ff. ad Scrorum Trebell.* ita tamen, ut, si solus aliquis institutus fuerit, detractâ certæ illius rei mentione ex assis heres fiat. *l. 1 §. 4. l. 9. §. 13. l. 10. & 11 ff. h. t.* Potest etiam institutio fieri vel de totâ hereditate, vel de aliquâ tantùm parte, modò pars illa appareat. *l. 17. §. 3. l. 19. l. 81. §. 1. ff. h. t. l. ult. ff. de bon. poss. secundum tabb.*

30. Perlustratâ hactenus causâ materiali, consideranda venit formalis, quomodo nimirum heredis institutio  
fieri

Causa formalis.



fieri debeat, de quâ notandum. Primò jure quidem veteri omne testamentum initium sumsisse ab heredis institutione, tanquam fundamento atque capite totius testamenti, adeò ut nec libertas (in cujus tamen favorem antiqui legislatores multa contra communes regulas statuerunt. §. 4. *Inst. de donat.* & §. 34. *Inst. de legat. l. 24. §. 10. in fin ff. de fideicom. libert.*) neque legata ante hanc rectè relinquerentur; quod tamen deinde mutatum est, & sublatum ab Imp. Justiniano; cum incivile putaret, scripturæ quidem ordinem sequi, sperni autem testatoris voluntatem. *d. §. 34. ibi, sed quia Inst. de legat. add. l. 77. §. 12. ff. de leg. 2.*

31. Secundò notandum heredis institutionem fieri posse vel directis verbis, ut Sejum heredem instituo, heredem esse volo, &c. vel obliquis, ut rogo te Seji, Mævio ut hereditatem restituas. *l. 15. C. de test. etiam paucissimis. l. 1. §. 5. ff. h. t.* (quod tamen de testamento nuncupativo accipiendum videtur, in quo minus scribi contingit, quàm nuncupetur, *ut l. 9. §. 2. ff. h. t.* ut vult C. J. A. *h. t. §. 10. n. 2.*) item vel purè (ut cum simpliciter sine diei aut conditionis adjectione aliquis heres instituitur) vel sub conditione (ut si institutio in certum aliquem eventum rejicitur, Bocer. *Class. 3. Disp. 4. §. 38. & 42.*) tali quidem, quæ in effectū aliquando deduci potest, aliàs tanquam impossibilis pro non scriptâ habebitur. §. 10. *Inst.* & *l. 45. ff. h. t. l. 20. pr. ff. de condit. Inst. l. 3. ff. de condit. & demonstr.* In diem tamen (argumento *l. 7. §. 10 ff. de min. l. 88. ff. h. t.*) vel ex die (argumento *l. 56. ff. h. t. & l. 7. ff. de R. I.*) fieri non potest, §. 11. *Inst.* & *l. 34. ff. h. t.* adde his C. J. A. *h. t. §. 10. & Treutl. 2. Disp. 11. §. 3.*

Finalis.

32. Superest unica adhuc causa, finalis scil. quæ duplex hîc dari potest, est enim hæc heredis institutio inventa tum in gratiam testatoris (cujus quippe interest habere successorem. *l. 6. pr. ff. de Interrog. in Iur. fac. qui post mor-*



mortem voluntatem ipsius, in legatis fortè vel fideicommissis præstandis aut dandis libertatibus expressam, exequatur; nihil enim in testamento valet, quoties executore, herede sc. destituitur) tum etiam heredis instituti, qui hoc titulo honoratus. *l. 5. §. 6. ff. de legat. præst.* in omne jus, quod defunctus habuit, succedere potest.

Effectus

33. Expositis hæctenus causis ipsis sequuntur earundem effectus; quorum præcipuus hic est, quod heredes instituti succedant in omne jus, quod defunctus habuit. *l. 62. ff. de R. I.* ubi repetenda heredum divisio proposita, supr. *in 0. 17.* quod scil. alij sint simpliciter necessarij, alij sui & necessarij, alij verò extranei sive voluntarij; in quibus diversi apparent effectus.

34. Simpliciter enim necessarij heredes (ut sunt servi ipsius testatoris proprij. *§. 1. Inst. de her. qual. & diff.*) sive velint sive nolint adire hereditatem coguntur; olim quidem cum hæc conditione, si quidem cum libertate instituti fuerint. *§. 1. Inst. d. t.* Hodie libertate etiam non adjunctâ simul heredes & liberi fiunt. *§. servus 4. Inst. h. t.* nisi à vivo testatore vel manumissi vel alienati fuerint. *d. §. 4.*

35. Sui autem & necessarij heredes (ut sunt ij qui in potestate patriâ ipsius testatoris mortis tempore immediatè fuerunt. *§. 2. Inst. de her. qual. & diff.*) coguntur quidem hereditatem suscipere, nisi beneficium abstinendi à Prætoze impetraverint. *d. §. 2.* Quod si tamen, dum de liberant, an beneficium illud à Prætoze petere velint, moriantur, ad successores jus illud transmittunt. *l. un. §. novissimo vers. Exceptis, C. de cad. toll. l. un. C. de his qui antè apert. tabb. l. 1. §. 8. ff. de collat.* si modò substitutus nullus sit in testamento. *l. 16. ff. de lib. & posth.* nec vivo adhuc testatore mortui fuerint. *l. 3. C. de jur. delib.* quo casu notandum, quod si una cum patre perierit filius pubes, præsumatur is patri supervixisse, ducto hæc in parte argumento à mortalitatis ordine, quo ascendens prius mortuus intelligitur,

C

ligitur,





9  
ligitur, quàm descendens. *l. nam & si. 15 pr. ff. inoff. testam.*  
sin verò filius impubes perierit cum Patre, præsumatur  
pater filio supervixisse: cum ætas impuberis repentino  
casui magis videatur objecta, argum. *l. 23. ff. de reb. dub. ni-*  
*si in utroque casu contrarium probetur. l. 9. §. fin. ff. d. t.*

36. & ult. Extranei tandem heredes sive voluntarij,  
non coguntur hereditatem suscipere; sed habent delibe-  
randi potestatem, quâ instrumenta hereditaria inspicere.  
*l. 5. pr. ff. de jur. delib.* atque rationes defuncti petere  
possunt. *l. 28. ff. de Acquir. hered.* quod si tamen hereditatem  
adierint, eam rursus repudiare non possunt etiam  
multo ære alieno oneratam. *§. 5. Inst. de her. qual. & diff.*  
nisi sint minores, qui ob aditam damnosam hereditatem  
in integrum restitui possunt. *l. 1. & t. t. C. si min. se ab her.*  
*abstin. add. hîc sup. 0. 11.*

## COROLLARIA.

1. *An omnes homines simul heredes institui possint? Aff.*
2. *An Dominus noster Iesus Christus, vel aliquis Archangelorum aut Martyrum heres institui possit? Aff.*
3. *An heredis institutio fieri possit de rebus Emphyteuticis? Aff.*
4. *An etiam de rebus Feudalibus? N.*
5. *An libertas servo cum conditione relinqui possit? Dist.*
6. *An in tali heredum institutione: Primus heres esto, secundus & tertius æquis ex partibus heredes sunt: uno deficiente, inter reliquos jus accrescendi locum habeat? A.*
7. *An verbis enunciatis, ut vulgò vocant, heredis institutio perfici possit? N.*

Ad



Ad

Dn. RESPONDENTEM.

I.

**U**T celsæ rupis scandunt fastigia dama,  
 sic tu Parnassi culmina grata petis.  
 Culmina, perge, sacri mōtis conscendere, perge:  
 fructus namque tibi non numerandus erit.  
 Inclyta, perge, flagrans penetrare sacraria fu-  
 perge, & continuus sit tibi Furis amor. (ris,  
 Tum Themis eximio te condecorabit honore,  
 & dignus placidâ munera fronte geres.

*amicitia causâ f.*

Elias Brackenhoffer.

II.

**A**Rdua sectantes labor ingens, curaque multa,  
 Sed manet & curæ, gloria multa, comes.  
 Det DEUS, ut pulcri specimen quem ferre laboris  
 Cernimus, hunc ingens inde sequatur honos!

Fausti ominis ergo pauca hæc apposuit

*Iohannes Sebastianus Gams.*

F I N I S.





.01






X 2615926


VD.17











B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ne sit!

TIO

37

16371

t.

*Deip. U*

MIN-  
ONE.

A.

*ltissimi*

J. U. D. inque  
niâ Professoris Pu-  
roni sui multis

*cutiendam*

ntoratensis.

TI,

ELPERI,

II.

